


ceptis editis ostēdam nostræ scientiæ uirtutem. Itaq; Imperator in primo uolumine tibi de arte, & quas habeat ea uirtutes, quibusq; disciplinis oporteat eē auctū architectum exposui, & subieci causas, quid ita earū oporteat eum esse peritum, rationesq; summæ architecturæ p̄tione distribui, finitionibusq; terminari. Deinde, quoderat primum & necessarium, de mœnibus quemadmodum eligantur loci salubres rationationibus explicui, uentiq; qui sint & è quibus regionibus singuli sp̄rent deformationibus grammicis ostendi, platearumq; & uicorum, uti emendatæ fiant distributiones in mœnibus docui, & ita finitionē primo uolumine constitui. Item in secundo de materia quas habeat in operibus utilitates & quibus uirtutibus è natura rerum est comparata peregi, nunc in tertio de deorum immortalium ædibus sacris dicam, & uti oporteat perscriptas esse exponam.

De sacrarum ædium compositione & symmetriis & corporis humani mensura. Caput. I.

 Edium compositio constat ex symmetria, cuius rationem diligentissime architecti tenere debent. Ea autem pariter à proportione, quæ græcè αἰσθητικὴ dicitur. Proportio est ratio partis membrorum in omni opere totiusq; commodulatio, ex qua ratio efficitur symmetriarum, Nāq; non potest ædes ulla sine symmetria atq; proportione rationem habere compositionis, nisi uti ad hominis bene figurati membrorum habuerit exactam rationem. Corpus enim hominis ita natura compositum, uti os capitis à mento ad frontem summam & radi

paratur  
αἰσθητικὴ